



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 3. Auari, inter opes, miseranda mors.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

manus sterile terra genus & informe perpur-
 tur: Videbis, quanta fuligine oblinantur. Atque
 ista magis inquinant animos, quàm corpora, &
 in possessore eorum, quàm in artifice, plus est for-
 didum. Ita de ijs, qui metalla fodiunt, &
 multò magis de ijs, qui metalla diligunt,
 Seneca.

§. III.

Auari, inter opes, miseranda mors.

Quemadmodum igitur fossores auri,
 nocte, dieque in tenebris laborant, & mise-
 ram vitam degunt, fordidi, atque inquinati
 Plutoni æquè, ac Pluto vicini, ita diuites
 auari non procul absunt à tenebris exterio-
 ribus, ad quas citò ab his mentis tenebris
 transeunt, cæcitate eos in summa pericula
 & scelera inducente. Talem se ad metallum
 damnatum fuisse ostendit Reginherus, Mis-
 nia in Germania Episcopus, cuius horren-
 da mors extitit. Hic pecuniæ maiorem cu-
 ram gesserat, quàm Ecclesiæ; atque in eodem
 cubiculo thesauros suos infoderat, in quo
 somnũ solitus erat capere. Aliquando igitur,
 cum absoluto prandio à mensa surge-
 ret, in cubile illud concessit, quasi cibo me-
 ridiationem additurus. Sed non sinebat
 eum pecunia quiescere: immò æs corrasum
 ferreum

Matth.
 8. 12.

Lamber-
 cus Schaf-
 nabur, &
 Baron. to.
 11. Anno
 1066.

ferreum illi somnum conciliauit. Solito diutiùs famulis intus morari videbatur. Expectabant tamen vsq; ad multam vesperam. Et ferè iam tempus cœnæ erat, cùm somni prolixitatem mirati familiares, ianuam digito primùm, tum etiam pugno percusserunt. Et quia arctè oppellulatae fores aditum non dabant, neque vllum ille audientis signum reddebat, malleis seras effregerunt. Ibi tremendum se exhibuit spectaculum. Namque episcopus, fractis miserandum in modum ceruicibus, exanimatus, atro colore, aspectuq; terribili thesauris suis incubans repertus est.

§. IV.

Vt non sine prodigio Israëlita, per mare, ad terram promissionis; ita neque diuites ad caelum peruenire.

Fateor, non omnes diuites tali morte puniri; sed mortem alteram, inter opes, euadere, æquè difficile est, immò difficilius, quàm camelum per foramen acus transire; aut in aquis non vuidum, in flammis non atrum fieri. Cuius rei clara imago fuerunt Israëlita, ad terram promissionis, per mare rubrum, tendentes. Ingens enim tunc prodigium accidit. Diuisi sunt fluctus; & diuisi